dem a Carteſio *fuiſſe inventa: & ope aliquot Lemmatum,* e Rivalti *Commentariis in* Archimedem *deſumptorum, Problemata ad 26 hujus adjunxi: ubi diu hæſi omni ſpe progrediendi orbatus; ſed continuis hortatibus, & auxiliis fratris mei* Davidis Gregorii *in Mathematicis non parùm verſati (cui, ſi quid in hiſce ſcientiis præſtitero, me illud debere non inficias ibo) animatus, tandem incidi in ſeriam imaginis conſiderationem, & deprehendi imaginem nihil aliud eſſe, quàm radiorum, ſingulorum viſibilis punctorum, a ſingulis aliis punctis in unâ ſuperficie exiſtentibus, divergentiam: quo perſpecto, ſingulis problematibus addidi ſua Corollaria; & adjunxi 26, 27, penicillorum, & conorum radioſorum determinationi; 28, 29, 30, 31, 32, 34, 35, 36, imaginis loco, & viſioni diſtinctæ; 33 imaginis illuſtrationi; 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, apicum, penicillorum & conorum radioſorum, loco inſervientes. Quibus præmiſſis, uſq; ad finem patent facillimæ & univerſaliſſimæ propoſitiones geometricè demonſtratæ, totam Catoptricorum, & Dioptricorum doctrinam, tam mediante diaphano denſiore, quàm rariore comprehendentes: e quibus emergunt infinita machinamenta Optica diverſa, partim antè cognita, partim incognita. Deinde appendicem aſtronomicam addo; in quâ, omnia deſiderata de parallaxium, eclipſium, & diametrorum apparentium obſervationibus, ope machinarum opticarum perficio: & Aſtronomorum opprobrium, nempe ſolis parallaxim diverſis modis invenire doceo: Et deniq; omnes planetarum inæqualitates ſcrutari multipliciter demonſtro; Lunam tantùm propter maximè irregularem motum vix tactam relinquens. His inquam molitus ſum præclara Mathemata propagare: quod ſi in noſtris lucubrationibus humanius quid acciderit, conatum ſaltem fovete; & ſervorum veſtrorum catalogo inſerite.*

Veſtri Obſervantiſſimum,

J. G.